

12

ΣΤΗΝ ΘΕΩ ΚΑΙ ΝΩ

DECAS PRIM A

QVÆSTIONUM

LOGICARUM

AD GENERALIA

ARTIS PERTINENTIUM,

In

GYMNASIO MULHVSINO

PUBLICI EXERCITII GRATIA

PROPOSITA,

PRÆSIDE

M. GEORG. ANDREA FABRICIO, POETA

L. CÆS. GYMNASIARCHA.

RESPONDENTE

JOANNE SCHNEIDER KERSTLIN-

GERODENSI.

HABEBITUR DISPUTATIO

ad diem XXIIIX. Febr.

In Auditorio novo; Horis matutinis.

MULHUSII

PRÆLO STANGIANO, AN. 1629.



ANTIQUA GENERIS PROSAPIA
NOBILISSIMO, STRENUISS. PRÆSTAN-
TISSIMOq; VIRO
DN. OTTHONI - CHRISTOPHORO
à Kerstlingeroda / in Herbsleben / Gebesee /
Kittmarshausen vnd Steinhau-
roda &c. Hereditario:

NEC NON
DOCTISSIMO, INTEGERRIMOq; VIRO
JOHANNI Schneidern Not. Publ. Cæs. & Præ-
dicti NOBILISS. DOMINI Præfecto Garttenfi
dignissimo, meritissimo.

ILLI
Dn. Patrono plurimum & officiosè venerando
HUIC
Parenti aternùm & obsequiosè colendo.

Hanc Logicarum Questionum Decadem primam
debitæ gratitudinis, observantiæ & obsequij
ergò, pro felici incuntis anni auspiciò,
Strenæ locò submissè & obsequen-
ter consecrat,

Joannes Schneider Junior, Kerst-
lingerodensis, Gymnasij
Mulh. Alumnus,
Resp.

Σὺν ἑωὶ ἔνω.
DECAS PRIMA QVÆSTIONUM
LOGICARUM.

Qu. I. An Logicæ primus locus inter
artes liberales sit tribuendus?

I.
A 70. Est enim Ratio prior Oratione, naturâ &
tempore.

II. Imò Logica est ὀργανὸν ὀργανῶν. Unde &
Petro Hispano rectè dicitur ars artium, scientia
scientiarum, ad omnium methodorum principia viam ha-
bens: citante Phil. Mel. Lib. 1. Dial. p. 4.

III. Non igitur in universali artium Systemate vel
ceteris Disciplinis, vel Rhetorica aut Grammatica postpo-
nenda est.

IV. Harum enim utraq; orationis est: utraq; habet,
qua non nisi præmissâ Logicâ intelliguntur. Et vide mihi
vel solam troporum doctrinam in Rhetorica.

Qu. II. An Logica & Dialectica eodem
sensu dicantur?

V. Omnino. Provocamus ad Logicos utriusq; Sectæ
Peripateticæ & Socraticæ-novæ seu Ramææ.

VI. Imò ars una est, quæ materiam & evidentem &
minus evidentem, necessariam aut probabilem tractat.

VII. Non igitur ita disspescenda est Logica, ut parti-
culam quandam habeat, quæ Dialectica dicatur, ipsa in-
terim universa Logica sit.

VIII. Qui benè & artificiosè differit, de quacunq;
materiâ id fiat, bonus ipse vocatur Dialecticus, nec alio
sensu aut respectu Logicus.

I.
De or-
dine &
cohæ-
rentiâ
Logicæ
cum cæ-
teris di-
scipli-
nis.

II.
De De-
finito.

III.
De Ge-
nere.

Qu. III. An Logica rectè definiatur
per Artem?

*IX. Rectè omnino: quocunq; sensu artis vocabulum
accipiatur.*

*X. Sic comprehensio præceptorum, ex Lucianèâ defi-
nitione; manifestum est, artem esse Logicam.*

*XI. Sit ἡ λογική τέχνη, ex definitione Aristotelicâ, ars
erit.*

*XII. Est enim, quando in Logico est & exercetur,
habitus, secundum quem fit opus.*

XIII. Et operatio ejus est artificiosè regulabilis.

*XIV. Ne ergò blitei aut bardi habeantur, qui sic de-
finiunt. Neq; enim stulti aut ἀλογοὶ fuerunt, qui artem
rationis dixerunt, quiq; de artificio Logico hætenus glo-
riati sunt.*

Qu. IV. An Logica sit instrumentum?

*XV. Quidni? Imò verò instrumentum instrumen-
torum est, ut paulò antè diximus.*

*XVI. Neq; tamen, ut definias per Instrumentum,
consequens est.*

IV.
De For-
ma.

Qu. V. An Differendi verbum pro indi-
candâ formâ Logicæ sit satis
commodum?

*XVII. Commodissimum: Et vel summi propieta-
tis Latine arbitri Ciceronis judicio, qui haut dubiè intel-
lexit, quale verbum ad explicandam naturam & vim
Logices, adhibendum fuerit.*

*XVIII. Non igitur verbum illud impropriè adhi-
bitum censeatur.*

*XIX. Imò differo, differui, modificatum seu meta-
phoricum prorsus non est, sed propriâ significatione opus
rationis,*

rationis, quod inveniendō & disponendō occupatur, de-
notat.

XX. Itaq; Plato ille Germania (Melanchthonem
Ramus sic vocat) idem verbum exponit, quod sit, ordine
rem explicare, Lib. 1. Dial. p. 4.

Qu. VI. An Logicæ finis sit benè disse-
rendi aptitudo?

XXI. Sanè. Hoc enim sine docemus; hoc & discimus
Logicam, ut apti reddamur ad benè differendum.

XXII. Imò hac interna bonitas & εὐπεγξία Logi-
ce est, ad quam omnia ipsius præcepta tendunt & unicè
conspirant.

XXIII. Non ergò finis Logica adequatus Syllogismus
esse potest.

XXIV. Neq; enim discimus Logicam solummodò Syl-
logistica causâ; & per consequens, solò disputandi fine; sed
etiam, ut affectiones terminorum simplicium, hoc est, ar-
gumentorum, extra omnem collocationem seu dispositio-
nem, rectè intueamur ac pernoscamus: deinde, ut axioma-
ta seu propositiones in se & per se, extra Syllogismum, con-
siderare, constituere, ac dijudicare; justò & convenienti
ordine qualibet disponere; & deniq; ea, quæ ab universâ
arte aut qualibet ejus parte dissentiunt, promptè animad-
vertere ac dijudicare queamus.

Qu. VII. An finis Logicæ Veritas?

XXV. Etiam. Sed non adequatus, hoc est, talis qui
universa arti, omnibusq; ejus membris pariter respon-
deat.

XXVI. Prima enim Dispositio, quæ axiomatica est,
Veritatem propriè dijudicat.

XXVII. Unde finis ejus Veritas: sicut Syllogismi
Consequentia; Methodi Ordo.

V.
De Fi-
ne.

28. Con-

XXVIII. Consentit Aristoteles, cum inquit:
ἡ δὲ σύνθεσις καὶ ἀφίρεσις ἐστὶ τὸ ψεῦδος τε καὶ ἀληθὲς
περ. ἑρμ. c. I.

XXIX. Ne igitur ad latitudinem universæ artis extendatur id, quod ad aliquam solummodo particulam pertinet.

VI.
De Sub
jecto.

Qu. IIX. An ens & non-ens sit subjectum occupans seu objectum Logicæ?

XXX. Ita est. Modò subjectum externum accipias: quod artificis seu operationis subjectum dici consuevit.

XXXI. Phil. Mel. ait: Versatur Dialectica circa omnes materias seu Quaestiones, de quibus docendi sunt homines. Locò allegato.

XXXII. Subsumo. Atqui docendi sunt homines tum de fictis, quæ hic non-entia vocantur, tum de veris, quæ entia dicuntur.

XXXIII. Itaq; & Poëta, dum figmenta & fabulas tractat, argumentis Logicis & quâlibet dispositione utitur.

XXXIV. Non autem confundimus sic Logicam cum Metaphysicâ: cum Metaphysica Ens & non-Ens consideret ut Ens, ut non-Ens, adeoq; ut subjectum internum definiat & dividat.

XXXV. Internum verò Logicæ subjectum est, ipse differendi modus, quem præcepta Systemate comprehensa notificans.

VII.
Depar-
titione.

Qu. IX. An Logica rectè dividatur in Inventionem & Judicium?

XXXVI. Affirmo. Naturalis enim Logica, quæ archetypus artificiosa est, in duobus illis unicè consistit.

37. In-

XXXVII. Intellectus enim est simplex vel compositus. Unde & operationes mentis contradistincte duae tantum sunt, simplicium apprehensio, earundemque conjunctio.

XXXVIII. Intellectus itaque simplex cum sit, qui notionem rerum simplices tantum comprehendit & cognoscit: ideoque, eusdem seu Inventio optimo jure inde deducta fuit.

XXXIX. Compositus vero cum sit ille, qui res simplices componit & judicat: idcirco neque Judicium & Dispositio, altera Logica artificiosa pars, inde quoque rectissime fuit constituta.

XL. Divisio igitur ex re ipsa nata est, ac proinde nec nova, nec incommoda, nec Ramistica.

XLI. Vetus divisio hac est, inquit Phil. Mel. Lib. 4. inquit. Ideoque & ipse suo instituto eandem accommodat.

Qu. x. An Inventio prior Judiciò seu Dispositione?

XLII. Prior certè; sed in ipsa Theoria & Logica docente. Aliter sapè in Praxi & Logica utente, maxime vero Analysis.

XLIII. Sanè precedunt ex sententià nonnullorum Propositiones propterea, quòd Syllogismum constituunt. Præcedant igitur & argumenta, quia & ipsa similiter constituunt Propositiones.

XLIV. Et quemadmodum ineptissimum foret priorem facere intellectum compositum: ita non minus ineptum erit, postponere Inventionem Dispositioni: cum illa sit simplicium; hac vero compositorum terminorum.

XLV. Itaque tamè jure præmittitur alijs Logica

IIx.
De ordine
dine
partiū.

gica partibus: sicut *Adrastus*, ex antiquioribus *Peripateticis* clarissimus, ita integrum disposuit *Organon*, ut primum *Categoriae* & *Topica* legerentur; deinde *isagoge* seu liber de *Propositionibus*; post *Analytica priora* de *Syllogismo*, & posteriora de *Methodo*: ac demum libri *Elenchici* de *Sophismatibus* sequerentur.

XLVI. Quae collocatio non modò legitimam *Logicae* in *Inventionem* & *Judicium* partitionem, sed & naturalem partium ipsarum ordinem eleganter indicat & confirmat.

QVÆSTIONES PHILOSOPHICÆ Speciales, jucundæ varietatis gratiâ adjectæ.

I. GEN. An *ars Natura* seu *Physiologia* cognitione prior sit *arte Morum*? *Aff.*

II. METAPH. An detur *Metaphysica*? *Aff.*

III. PHYS. An sit certitudo doctrinae *Physicæ*? *Aff.*

IV. MATH. An *Cosmographia* ad *Physicam* pertineat? *Neg.*

V. ETHIC. An *Ethica* ex naturalibus principijs deducta sit tradenda? *Aff.*

VI. POL. An *Politica* juventuti *Scholasticæ* sit proponenda? *Aff.*

VII. OECON. An *Oeconomica* solò usu discenda? *Neg.*

IX. HIST. An *Historica* sit distincta *Philosophiæ* pars? *Neg.*

τῶ ἰσῶ μόνῳ δόξα :

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**



ΣΤΝ ΘΕ
 DE CAS
QVÆST
 LOGI
AD GEN
 ARTIS PER

GYMNASIO
 PUBLICI EXE
 PRO

 PRA
M. GEORG. ANDRE
 L. CÆS. GY.

 RESPO
JOANNE Schn
 GER

HABEBITUA
ad diem X
 In Auditorio nov

 MUL
PRÆLO STAN

